



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Explicatur Conversio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

tuit totum cum ipsius institutione, ducit ut virtus gratiæ in gratiæ cognitionem. Sumptio autem non ducit in cognitionem gratiæ, ut virtus collatiæ gratiæ, cum non sit pars intrinseca Sacramenti, sed purus terminus ex dictis num. 67. quod manifestè constat ex Trid. citato num. 39. ubi definit Evcharistiæ esse Sacramentum ante usum, sive ante sumptionem: cum autem non possit dari Sacramentum, quan-

do deficit aliqua essentialis pars Sacramenti, exinde manifestè colligitur, sumptionem non esse partem essentialem Sacramenti Evcharistiæ, id ipsum clariùs apparet ex ipsa Sess. 13. cap. 5. ubi definit Trid. secundum Religiosum morem Ecclesiæ Sacramentum Evcharistiæ deferri per vias & loca publica; & can. 4. esse corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Evcharistiæ ante usum.

DISPUTATIO III.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

119. **T**Ransubstantiatio est una ex speciebus conversionis; conversio autem, ut ex dicendis constabit, est destructio termini à quo ex vi termini ad quem producti sub eodem tertio communi. Quadruplex assignari solet conversio 1. formalis accidentalis, quando nimirum termini sunt formæ accidentales 2. formalis substantialis, quando termini sunt formæ substantiales. 3. materialis substantialis, quando nimirum termini essent materiæ substantiales. 4. substantialis totalis, quando tota substantia, quæ erant sub his accidentibus, est terminus à quo, & substantia succedens sub iisdem accidentibus est terminus ad quem; & hæc vocatur transubstantiatio, quæ propter in Evcharistiâ terminus à quo est tota substantia panis & vini; terminus ad quem, corpus & Sanguis Christi, in quod convertitur substantia panis & vini. 3. commune, accidentia, quæ à substantia panis & vini transunt ad continentium sub se corpus & Sanguinem Christi; terminos conversionis jam ex Philosophia notos suppono, tum & mutationem positivam unam, negativam alteram, quæ in quacunq; conversione reperiuntur. Cæterum quia multiplices circumferuntur circa conversionis constitutum sententiæ, ex quibus explicandum est Evcharistiæ Mysterium, perstringam breviter, quæ ad præsentem controversiam necessaria sunt.

SECTIO I.

Explicatur Conversio.

120. **S**uppono 1. conversionem non esse puram commutationem, translocationem, aut transmigrationem; ratio est, quia commutatio, translocatio, aut transmigratio etsi adequatè substantialis, fieri potest sine destructione termini à quo, & sine productione termini ad quem. Unde si tota substantia panis *A*. poneretur sub accidentibus panis *B*. & tota substantia panis *B*. sub accidentibus panis *A*. daretur adequata substantialis commutatio, translocatio & transmigratio substantiæ in substantiam, quin daretur conversio, ex defectu destru-

ctionis termini à quo, & productionis termini ad quem. Unde Aug. lib. 18. de civit. cap. 18. hanc assignat differentiam inter conversiones miraculosas & veras, quas Deus facit, & apparentes, quæ sunt à Dæmone, quod à Deo sunt per veram & substantialem rerum conversionem, à Dæmone verò per solam invisibilem translocationem. Sic Pythagorici admittebant transmigrationem animarum, non verò conversionem unius animæ rationalis in aliam: neque Catholici, neque reliqui Philoſophi eos impugnantes intulerunt unquam contra Pythagoricos ex eorum sententia inferri animarum conversionem. Quare ex communi omnium sensu, sive ex significatione, quam habet hæc vox conversio apud homines, clarè deducitur, id non sufficere ad conversionem. Exinde neque sufficit pura descriptio termini à quo, cum hæc fieri possit per annihilationem, sive suspensionem puram conatus absque actione agentis in terminum conversionis.

Suppono 2. conversionem non esse aggregatum omnino accidentale duarum mutationum. Ratio est quia si in eodem instanti, in quo aer sic calidus amitteret lucem, non exinde daretur conversio calidi in lucidum, ex defectu productionis termini ad quem, afferentis ex se incompossibilitatem cum termino à quo, in eodem subjecto, solumque daretur transmigratio lucidi in calidum: calor quippe non producebatur ad expellendam lucem, sed hæc deficiebat merè accidentaliter, quando adveniebat calor; at qui tunc daretur aggregatum omnino accidentale duarum mutationum; ergo &c. Suppono 3. subjectum commune non exigere cum termino ad quem unionem similem illi, quam habebat cum termino à quo. Ratio est quia sicut cum termino ad quem constituere valet compositum diversi generis, ita & admittere potest diversi generis unionem. Unde si constituat compositum Physicum, adhibenda est unio Physica; moralis; si constituat compositum morale; & sola sufficet penetratio, si constituat compositum per solam penetrationem termini ad quem cum tertio communi: unio enim non requirit majorem unendi vim, quam extrema exigunt ad suum compositum conficiendum, ut per se patet.

Suppo

122. Suppono 4. Propositiones enunciativas tam in conversionibus, quam extra illas, quando per apparentiam, quæ facta est propria rei enunciatae, demonstrant unum ad sensum, & aliud ad intellectum, si apparentia sensibilis, quæ demonstratur ad sensum, ex sua natura est determinata ad significandum unam solam substantiam ad intellectum, tunc juxta sincerum ac communem loquendi modum, demonstratio unius substantiæ est virtualis exclusio alterius substantiæ sub eadem apparentia. Unde demonstratio corporis & Sanguinis Christi per accidentia panis & vini, est per se ipsam virtualis exclusio substantiæ panis & vini sub illis accidentibus: sic quando dicimus, *hic est homo*, objecta sensibus una tantum rei apparentia, demonstramus solum hominem subesse accidentibus, vi quorum demonstratur. Hac unitas apparentiæ per se sensibilis, ex se ad unum determinata, observanda est diligenter in præsentibus: nam si detur duplex apparentia, affirmatio unius substantiæ sub una apparentia, non est exclusio aut negatio alterius substantiæ sub altera apparentia: sic quando obicitur sensibus energumenus operans exterius ut talis, licet dicere *hic est homo*, *hic est Dæmon*, & neutra affirmatio includit in se negationem alterius affirmationis, quia in eo casu datur duplex per se sensibilis apparentia, una quo ad accidentia & operationes proprias hominis, eidemque connaturales; altera quo ad operationes præternaturales respectu hominis, & quæ non nisi à Dæmone procedere aut possunt aut solent; pariter si apparentia ex natura sua esset ordinata ad plures terminos significandos, sicut natura Divina est cognoscibilis ex se trium personarum, affirmatio unius ex illa apparentia, non esset negatio alterius.

123. Suppono 5. quandoque apparentiam sensibilem ex natura sua non determinatam ad significandum terminum, desumi etiam ex hominum consuetudine ad significandum illum extra conversionem, non quidem ex vi apparentiæ, quæ facta sit propria rei significatæ, sed per metonymiam, v. g. quando dolium continet vinum, tum enim juxta serium & verum loquendi modum dupliciter fieri potest affirmatio. 1. in ordine ad rem continentem, 2. in ordine ad rem contentam: sic dicimus, *hoc est dolium*, tum etiam demonstrando dolium dicimus, *hoc est vinum*; quibus affirmationibus non exprimimus, rem contentam apparere per continentem, sive cum illa penetrari, efficiendo illam suam sensibilem apparentiam; sed solum significamus, concavitatem esse plenam vino, sive vinum replere eam concavitatem. Quando autem res contenta penetratur cum apparentia sensibili, non potest habere eandem significationem ab hominibus impostam replendi concavitatem, ideoque non est verè affirmabilis per apparentiam sensibilem, si hæc aliam substantiam contineat, eamque naturaliter significet. Quapropter in energumeno viso de-

fectu proprio, & solius hominis, non est verè dicere, *hic est Dæmon*: sic casu quo per revelationem scirem Angelum esse penetratum cum equo, si nulla præsentia Angeli apparentia manifestetur, non possum verè dicere monstrando equum, *hic est Angelus*.

Tum etiam si lineum penetratum est qualitate & odore Balsami monstrata sola sensibili apparentia linei, non potest verè dici, *hic est odor Balsami*; bene verò applicato lineo sciendi, ut percipiatur sensibiliter ille odor: unde in eo casu, ut dicitur 2. vera affirmatio sequitur 2. sensibilis apparentia. Si verò sub demonstratis accidentibus Balsami, i. substantia Balsami, quam continebant, destrueretur, & alius, v. g. olei, sub illis substitueretur, tunc illis accidentibus demonstratis, falsum esset dicere, *hoc est Balsamum*; & verum esset, si diceretur, *hoc est oleum*; ac proinde ex veritate istius enunciationis, *hoc est oleum*, in eo casu legitime inferretur sub illis accidentibus desitio Balsami. Hac de causa cum post consecrationem in Eucharistia maneat unica illa apparentia accidentium panis & vini, quæ erat ante consecrationem, ex eo præcisè quòd solis illis accidentibus demonstratis sit verum dicere, *hoc est Corpus Christi*, *hic est Sanguis Christi*, legitime inferitur, non remanere jam sub illis accidentibus substantiam panis & vini.

Quamobrem Trid. sess. 13. cap. 4. non solum definit in Eucharistia fieri conversionem, sed etiam docuit, hanc conversionem colligi ex veritate verborum sive ex ipsa consecratione: sic enim habet: *Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, idcirco ipsum semper in Ecclesia DEI fuit, idcirco non demò Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri in unius substantia panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantia eius in substantiam Sanguinis eius.* Ex eadem ratione à nobis assignata intulerunt ex viveborum hanc conversionem ante Tridentinum S. Thomas 3. pa. qu. 75. art. 2. & plures SS. PP. apud Vasquez disp. 180. cap. 4. quos plerumque Theologi Scholastici postmodum sunt secuti. His positus,

Affero cum pluribus DD. quos citat, & sequitur Eximius Doct. disp. 50. in 3. part. ad conversionem essentialiter requiritur desinitio termini à quo ex vi termini ad quem, 2. saltem producti sub eodem 3. communi. Probat, & explicat conclusio, ut dicitur solum mutatio, aut translocatio termini à quo, sed etiam conversio ipsius, necesse est, ut terminus à quo destruat, ut constat ex num. 120. sic ut lignum convertatur in ignem, necesse est, ut lignum destruat. Rursum in coexistentia termini ad quem cum 3. communi, sub quo destruitur terminus à quo, non solum sit accidentaliter aggregatio duorum mutationum, sed potius consuetudinem ejusdem

passivæ conversionis, requiritur, ut sub illo 3. communi de novo produceretur terminus ad quem, si ante productus non est, ad finem expellendi terminum à quo ab illo 3. communi, cum quæ expulsiōe terminus à quo in rerum natura non conservetur; vel si jam ante conversionem productus est alibi terminus ad quem, ponatur modò ejus substantia præsens sub 3. communi, ex vi actionis reproductivæ illius sub illo 3. quæ vocatur productio quo ad secundum esse. Et indispensabiliter requiritur, ut constet ab inductione per omnes conversiones. Sic producit ignis sub materia ligni ad expellendum lignum; ergo &c. Confirm. 1. impossibilis est conversio absque actione agentis: etenim ratione conversionis non solum deficit, quod ante erat, sed sit etiam, quod ante non erat; ergo si actio agentis non tendit ad formam, non dabitur conversio formæ in formam; & si non tendit ad substantiam, non dabitur conversio substantiæ in substantiam, ac proinde si conversio sit ex termino à quo in terminum ad quem, non solum exigitur ex vi actionis agentis destructio termini à quo, sed etiam productio termini ad quem.

Confirmatur 2. Ubi non potest dari destructio termini à quo, nec productio aut reproductio termini ad quem sub eodem 3. communi, sub quo vi exigentiæ illius productionis terminus à quo destruitur, impossibilis est conversio, ut evidens sit à partium enumeratione. Sic D. Thomas 3. p. q. 2. art. 1. docet, essentialiter Divinam non posse in aliud converti, cum sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis; ergo ad conversionem essentialiter requiritur destructio termini à quo, & productio aut reproductio termini ad quem sub eodem 3. communi, vi cuius terminus à quo destruitur. Confirmatur 3. idem filius non converteretur in Patrem æternum, licet loco filii succederet Pater in unione hypostatica, quia filius indestructibilis est, & Pater improducibilis, ac proinde impotens ratione productionis sub tertio communi inducere destructionem termini à quo; ergo &c. Conf. 4. Sicut se habet totum ad totum, quando unum convertitur in aliud, v. g. concretum lignum in concretum ignis, sic se debet habere substantia ad substantiam, quando una convertitur in aliam; atqui ut istud totum, nempe lignum, convertatur in istud totum, nempe ignis, necesse est, ut totum, quod se habet ut terminus à quo, nempe lignum, destruat ex vi productionis totius, quod se habet ut terminus ad quem, nempe ignis; ergo idem dicendum est, quando substantia convertitur in substantiam. Ex dictis

Fit 1. Ex vi conversionis unius in aliud, v. g. ligni in ignem, apparentiam relictam, quæ erat propria ligni, fieri propriam ignis, unde sicut ea demonstrata, erat verum dicere ante conversionem, *hoc est lignum*, & erat falsum

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II,

dicere, *hoc est ignis*; pariter, eadem demonstrata, post conversionem est verum dicere, *hoc est ignis*, & est falsum dicere, *hoc est lignum*. Fit 2. rem non existentem non posse agere, neque pati; ac proinde in sensu composito destructionis termini à quo non esse possibilem conversionem, nec secundam illius destructionem; e contra dicendum de termino ad quem, licet ante conversionem supponatur productus, nam cum sit existens, est potens agere & pati: unde manet locus secundæ ipsius productionis: etenim ut notum jam ex physicis suppono, sicuti eadem materia potest divinitus informari duplici forma aliunde totali, & idem corpus possit divinitus habere secundam præsentiam adæquatè circumscriptivam, supposita prima, ita & idem terminus ad quem potest divinitus per secundam actionem reproducti, præsupposita prima productione per primam actionem, subindèque productus alibi per actionem non convertivam, potest hic produci per actionem convertivam; sic casu quo forma ignis præsupponeretur, producta, & conservata extra subjectum per actionem non convertivam posset in sensu composito illius primæ productionis reproducti in materia ligni per actionem convertivam formæ ligni in formam ignis.

Fit 3. Ad inferendam naturam conversionis attendendam maximè esse actionem agentis in terminum. Quapropter si agens per suam actionem solum producat unionem partium novi compositi, ita ut ex vi productionis corumpatur unio primi compositi, & sic primum compositum destruitur, pariterque producat unio secundi compositi, & sic secundum compositum producat, ita ut non producat formam, quæ supponebatur antea producta, sed hæc ad novum compositum afferatur per adductionem, in eo casu daretur conversio unius compositi in aliud, unionis nimirum in unionem; sedis autem formæ in formam: tunc enim daretur adductio aut transmigratio formæ absque illius productione, adeoque actio agentis non tenderet ad convertendam formam in formam, licet ex adductione formæ terminus à quo desineret, sic desineret forma cadaverica, si anima rationalis corpori reuniretur, quin daretur conversio formæ cadavericæ in animam rationalem. Idem dicendum de termino à quo, si non destruitur per Adventum termini ad quem, sed solum expellatur à subjecto. Idcirco per Adventum formæ cadavericæ non convertitur anima rationalis in cadavericam, licet convertatur homo in cadaver. Unde cum conversio fiat ex termino à quo ad terminum ad quem, sicuti indispensabiliter requiritur ad conversionem destructio termini à quo, ita & productio termini ad quem.

Fit 4. Prædicationem per communicationem idiomatum non habere locum in conversione, si rigorosè loquamur. Ratio est, quia ea prædicatione exigit extrema actu existentia

Bbb b

sub

sub eodem 3. communi, & est prædicatio in concreto: sic dicimus, homo est DEUS, & DEUS est homo; pariter in Saccharo, album est dulce, & dulce est album. Ob hanc rationem dici non potest, ignis est lignum, aut lignum est ignis: nam quando datur forma ligni, nondum est in materia ligni ignis; neque quando datur forma ignis, manet sub eodem subiecto forma ligni. Quando autem dicimus, homo vivus moritur, non significatur vivum esse mortuum, sed amittere vitam hominem, qui antea erat vivus, unde non sunt prædicationes per communicationem idiomatum. Neque prædicationes substantiales in concreto fieri possunt ex vi solius unionis accidentalis, cum unio accidentalis non possit constituere compositum substantiale, in quo unum extremum sustentetur, seu in linea sua perficiatur ab alio, cum una substantia ab alia non sustentetur per unionem accidentalem, per quam solum sustentatur accidens. Prædicationes autem substantiales per communicationem idiomatum illam habent apud homines significationem, ut docetur in tract. de Incarn. ut patet ab inductione per omnia concreta; quapropter licet maneret in Eucharistia substantia panis unita per accidentalem unionem corporis Christi, ut deliravit Lutherus, non possent exinde prædicari in concreto substantia panis, & corpus Christi; unio verò hypostatica inter substantiam panis, & corpus Christi, quam Bellarm. teste assererat Rupertus, quem Eximius Doct. excusat, ipsius sensum aliter exponens, omnino est fictitia, utpote in Ecclesia DEI nunquam audita, & repugnans Doctrinæ Tridentini citati num. 39. expressè desinentis, non manere in Eucharistia substantiam panis & vini, de quo infra agemus in speciali disp. contra Lutherum & Calvinum. In prædicationibus autem accidentalibus aliter evenit, cum solum significetur accidentalis denominatio, quæ advenire possit decreto, vel per imperfectissimam unionem.

231. Objicies 1. Licet requiratur productio termini ad quem in conversione, si terminus ad quem sit terminus totalis, non requiritur ea productio, si terminus ad quem sit terminus partialis, v. g. sola forma; ergo ad conversionem non requiritur indispensabiliter productio termini ad quem. Probatur antec. terminus totalis non solum debet produci per secundam actionem, sed omnino quo ad primam, quod non requiritur, quando terminus est sola forma; ergo licet debeat produci terminus totalis, non exinde debet produci in conversione forma, forma. Probatur antec. lignum simul album, & calidum, licet ex vi novæ reproductionis albedinis amitteret calorem, non idè diceretur calidum conversum in album. Tum etiam si corpus Christi præexistet sub pane, & postea sui reproductione panem expelleret, non idè panis converteretur in ipsum; ergo &c.

Resp. nego antec. ad prob. nego quod in parte antec. ad prob. nego antec. tunc non est eo quod terminus à quo verè destrueretur terminus ad quem, ut per eam actionem producti respectivè ad illam productionem daretur conversio, 1. quippe productio, ratione cuius terminus à quo & ad quem conjungebantur, ita se habet ad conversionem, ac si non esset conversio, sed quæ modo est 2. esset 1. daretur ab huc apud ipsos Adversarios, ex vi huius actionis vera conversio; pariter quantumvis præstiterit 1. productio, negari non possit hanc conversionem, quando 2. productio advenit, cum ratione illius datur sub eodem 3. communi vera productio termini ad quem, ratione cuius adest descriptio & destructio termini à quo. sic licet non daretur conversio, si Deus naturalem exigentiam impediret, daretur quædam ex vi illius exigentiæ naturalis productio termini ad quem, & destrueretur terminus à quo.

Objicies 2. Stat diversitas conversionis in esse talis sine productione termini ad quem, ergo ad veram conversionem non requiritur productio termini ad quem. Probatur antec. si Deus auferret à Petro formam albedinis, eamque uniret Paulo, à quo auferret formam nigredinis, quam Petro uniret, tunc daretur in Petro vera conversio, albi in nigrum, & e contra in Paulo nigri in album; sed tunc non daretur productio termini ad quem; ergo &c. Resp. nego antec. ad prob. dist. maj. daretur conversio albi in nigrum, sumpta conversio concreti in concretum, con. Sumpta conversio formæ in formam, nego maj. & dist. min. non daretur productio termini ad quem, nempe concreti, nego, formæ illius concreti, con. min. & nego consequentiam, nam ut datur productio concreti, sufficit, quod datur productio unionis necentis partes illius composui; sic Petrus producit Paulum ex eo, quod producat unionem materiæ & animæ rationalis, quæ producat materiam 1. aut animam rationalem Petri, & homo moritur ex eo, quod tollitur unio destruat, quamvis non destruat materia 1. nec anima rationalis.

Quapropter denominatio concreti producti vel destructi desumitur, & significat productionem vel destructionem unionis, cum autem in eo casu daretur destructio unionis Petri cum albedine, & productio unionis Petri cum nigredine (idem esto suo modo in concretis materialibus) daretur conversio albi in nigrum, sumpta conversio concreti in concretum: cum autem rem non daretur destructio albedinis, neque productio nigredinis, non daretur conversio formæ in formam, quod velint, nolint, recusat dicere ferè omnes Adversarii dicentes, requiritur ad conversionem destructionem termini à quo, tunc enim cum solum daretur destructio concreti, & non destructio formæ, adhuc apud ipsos Adversarios daretur solum conversio con-

creti in concretum, non autem formæ in formam. Unde sicut apud ipsos non sufficit ad conversionem productio termini ad quem, si non detur etiam destructio termini à quo; ita apud nos ex firmitiori fundamento non potest dari vera conversio, licet detur destructio termini à quo, sic non detur etiam productio termini ad quem.

137. Objicies 3. In Eucharistia datur vera conversio panis in Corpus Christi; atqui non producitur terminus ad quem; ergo &c. Probatum min. ex Trid. sess. 13. cap. 4. citato num. 125. colligitur ea conversio ab Ecclesia ex veritate verborum; sed ad istam veritatem non est necessaria productio Corporis Christi; ergo &c. Resp. con. maj. & nego min. ad prob. con. maj. & nego min. etenim ex ipsis verbis consecrationis colligitur productio Corporis Christi in Eucharistia, nec aliter possunt verba recte explicari, ut constabit sess. sequenti; verba quidem Eucharistica, ut planum est apud omnes Theologos, causant id, quod significant, eaque de causa Theologi cum S. Ambrosio, illavocant Operatorium Sermonem, ut dictum supra, cum autem illa verba significant Corpus Christi sub accidentibus panis, propterea ex vi verborum debet sub accidentibus panis Corpus Christi reproduci, ita ut verba sint causa effectiva moralis, & Deus causa Physica efficiens; ex dictis à num. 167. de Sacram. & dicendis à n. 147. Cæterum pro clariori horum omnium intelligentia & Mysterii explicatione sit.

SECTIO II.

De Conversione Eucharistica.

136. **C**onstat ex Trid. cit. num. 39. conversionem Eucharisticam esse transubstantiationem, quatenus tota substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi, & tota substantia vini in substantiam Sanguinis ejus. Quæritur modò, in qua actione consistat ista conversio, & quis sit terminus formalis illius. Varia sunt auctorum placita. 1. Sententia docet solum esse actionem adductivam Corporis Christi ad Eucharistiam, ita Scotus. Bellarm. pluresque alii, quos citat & sequitur Maurus qu. 140. addens cum Vasq. ad hanc transubstantiationem sufficere, quod Corpus & Sanguis Christi succedant substantiæ panis & vini in munere substandi speciebus, seu accidentibus Eucharisticis.

137. Secunda sententia tenet, ex eo præcisè salvari veritatem transubstantiationis Eucharisticæ, quòd Corpus & Sanguis Christi terminent unionem adhæssivam cum accidentibus panis & vini, ita ut existant sine subjecto, ac proinde terminum actionis conversivæ esse, eam solam accidentalem unionem. Ita Alanus, Henriquez & Valentia. 3. Sententia docet, requiri actionem reproductivam Corporis Christi, ita

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 14.

plures, quos citat & sequitur Eximius Doc. Disp. 50. sect. 3. 4. & 5. cui vel nolentes subscribunt plures Thomistæ cum Goner & Conson. Cæterum adhuc est inter istos auctores magna dissensio in discernendo, quomodò ex Christi reproductione desinat sub accidentibus substantia panis & vini. Aliqui judicant desinare ex vi alterius actionis; ita plures recentiores; alii tantum moraliter ex voluntate Dei. Ita Petrus à S. Joseph. Esparza & alii; alii Physicè ex impossibilitate naturali substantiæ Corporis & Sanguinis Christi cum substantia panis & vini sub iisdem accidentibus. Ita Monceus, Albertinus & Carleton; alii Physicè ex vi ipsius actionis reproductivæ, ita Quiros cum pluribus recentioribus.

138. **A**ltero 1. Transubstantiatio Eucharistica, non est actio adductiva Corporis & Sanguinis Christi ad solam præsentiam localem formaliter terminata. Probatum 1. actio adductiva est actio loco motiva rei, quæ adducitur; atqui per transubstantiationem Eucharisticam Corpus & Sanguis Christi non moventur localiter; ergo &c. consequentia tenet, & ma constat, quia adduci unum ex isto ad illum locum, est moveri ex isto ad illum; min. verò probatur: motus localis impossibilis est, nisi unus locus per modum termini à quo deferatur, & alius tanquam terminus ad quem acquiratur; ac proinde si Christus existens in Cælo adduceretur ad Eucharistiam, Cælos desereret, ut in terram sub speciebus Eucharisticis descenderet; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirmatur 1. terminus ad quem conversionis, ut ab agente provenit, debet asserere impossibilitatem cum termino à quo, ut constat à n. 126. atqui actio adductiva non asserit apud Adversarios talem impossibilitatem; ergo &c. Confirmatur 2. & præoccupatur Bellarmini responsio; repugnantia termini ad quem cum termino à quo in vera conversione, non ex aliqua extrinseca Dei ordinatione, sed ex natura ipsius conversionis peri debet, aliàs omne quod ex voluntate Dei desinit, simul atque aliud incipit esse, diceretur in illud converti, quod est absurdum, ut constat ex num. 121. ergo &c. Confirmatur 3. quia hæc sententia manifestè repugnat doctrinæ Ecclesiæ Orientalis in censura contra Luther. ut constabit num. 149. ergo &c.

139. **P**robatur 2. transubstantiatio Eucharistica est vera conversio, dicens pro termino ad quem corpus & Sanguinem Christi, ut habet Trid. num. 39. sed ad veram conversionem requiritur productio saltem termini ad quem, ut constat à num. 126. ergo ad transubstantiationem Eucharisticam requiritur productio corporis & Sanguinis Christi. Confirmatur; transubstantiatio debet habere pro termino formali ad quem aliquid substantiale; atqui terminus formalis actionis purè adductivæ Corporis & Sanguinis Christi non est substantialis; ergo &c. Probatum min. actio adductiva producit motum

Bbb b a Cor.